Contenta Pactorum inter Ducem et Exercitum Zaporoviensem conventorum, in Compendium brevi Stylo collecta.

1.

Religionem in Ucraina oportet esse Solam et Unam Orthodoxæ Orientalis Confessionis, quæ sicut semel pro semper, ab Apostolica Sede Constantinopolitana gens Cosacica, tunc vocata Cosarea instituta et clarificata, ita in perpetuum sub obedientia eiusdem Sedis Apostolicæ respectu Sacrorum maneat, nullamque Exoticam Religionem admittat, cui pro munere ministerij sui invigilet Dux, fundarique ac promulgari non permittat, præcipuè autem Judaismo, quem extirpare

de Vraina curabit.

II.

Integritas Limitum Vrainensium, ad flumen Slucz terminatorum, ac Pactis Conuentis confirmatorum, ne in posterum post finitum bellum violetur, impensam de hoc aget Dux curam, supplicabitq ad Sam Ram Mtem Sueciæ, ut Sua Majestas tanquam Tutor et Protector noster, nemini permittat, nec solum legibus et Libertatibus, verumenimvero et Confinijs Vrainensibus, vim inferre, ditioniq exotica appropriare. Insuper peracto bello, tenebitur Dux pro munere Ministerij sui impertiri apud Sam Ram Mtem Sueciæ tantam Gratiam et Clementiam, Virtuti Pactorum Conuentorum innixam, ut Sua Maiestas, Exercitum Zaporouiensem

Gentemq Russiacam, quam semel in tutelam et Protectionem suam suscepit, nunquam dimittat cum Serenissimis Successoribus suis, qui et titulo et actu diuterne Protectores Vrainæ permanere ne abnuant, omni Virium et Conatuum intensione curare hoc Dux non prætermittat, parem etiam adhibebit curam, circa recompensam damnorum hostili Moscouitica manu Vrainæ illatorum, et eliberationem Captiuorum in Moscouitico Dominio, et Suecico Regno degentium.

III.

Quoniam et Origo Genealogica, et stricta Vicinitatis amicitia, cum inuicta gente Scythica, ab antiquo Cosacos accopulat, Igitur pro meliori et fortiori Patriæ Nostræ Securitate

Curabit Dux, apud Serenissimum Hanum, veterem cum Dominio Crimensi Confrater=nitatem, Colligationem armorum, et Confirma=tionem aeterni foederis renouare.

IV.

Quando S.a R.a M.tas Sueciae felicibus armis compellet intrare Moscum tractatus almae pa=cis, tunc Dux impendet solicitas curas, ut omnia avulsa ab Exercitu Zaporoviensi, prae=sertim bona immobilia, priuilegiata, circa flumina Borysthenis, Samara, et Boh situata, iterum redeant ad suos Possesso=res, a quibus vi a Moscis illata recesse=runt, et contra leges eidem Exercitui iu=ratas, in erectionem fortalitiorum Mosco=viticorum

successerunt, cum publico praefati Exercitus damno et iniuria, quae fortalitia ut demolian=tur, curam huius Dux non aggravabitur.

V.

Civitas Trechtemirow, ubi antea fuerat Xenodochium Exercitus Zaporoviensis, et oppida Perevoloczna ac Kereberda, cum traiectibus et omnibus accidentiis, fortalitium Kodacense, fluuius Borysthenis a Perevoloczna usq. ad inferiores suas partes, fluuius Boh, campestriaq. flumina et fluuioli meatibus suis usq. Oczakovian extensi, fluuius Worsklo cum aggeribus et molendinis, secundum antiqua jura et Priuilegia, in perpetuum spectent possessionem Zaporoviensium.

VI.

Dux in publicis, ubi agitur de communi Patria

integritate, nihil privata agat authoritate, Sed cum Consilio Generalium, Colonellorum, Generaliumq́ Consiliariorum, qui constituendi sunt in omni Chiliarchatu Singuli, Viri emeriti, pru=dentes, et muneris huius capaces, instituiq́ debent tria Consilia Generalia omni anno ab=soluenda, 1mum inter festa Nativitatis Chri=sti, 2dum inter festa Paschatis, 3tium ad Solennitatem Protectionis Beatissi=mæ Virginis Mariæ, quæ Consilia publico peragantur congressu ad Latus Ducis, in præsentia Ablegatorum Za=porovienſium. Adeoq́ Generales Officia=les, Colonelli et Generales Consiliarij, tanqu=am Status Ministri, omni gaudeant authoritate et observantiâ, nec serviliter à Duce tra=ctentur.

VII.

Si aliquis ex Generalibus Officialibus, Colonellis, Generalibus Consiliarijs, insignibus Exercitûs Zaporoviensis Commilitonibus, et ipsis gre=garijs militibus, Supremum Ducis Sui ho=norem læderet, sive aliam Culpam subiret, tunc tales Criminis reos, non debet Dux punire privata Authoritate et vindictâ, sed Generali Suo iudicio.

VIII.

Servi Ducis Domestici, nec Referendarios, nec Ablegatos se, in publicis Patriæ et Exercitûs negotijs agant, sed Generales Officiales in his, muneri Suo attendant.

IX.

De Antiqua Lege et more, Constituetur in paci=ficata Patria ad Latus Ducis Thesaurarius

Generalis, iuramento ad fidelitatem obligatus, qui possit ministerio suo uti, non ad privatum sed ad publicum commodum. Pari modo et Particulares Thesaurarij in quolibet Chiliarchatu constituentur, dependentes à Thesaurario Generali;

X.

Quoniam contra Leges Patrias, et iura libertatis, DDni Colonelli, Centuriones, caeteriq Praesides, imponunt tam Cosacis, quam gregario populo multa gravamina, cogendo ipsos violento impulsu ad muniendos aggeres, ad arandum, metendum, coeteraq Domestica sua opera, nulla habita ad ipsos relatione, et possessione, quo Actu multa sunt depopulata oppida et Pagi; igitur Dux curabit tantos abusus extirpare, ad pristinumq Statum populum et milites gregarios reducere. Sed neq Dux Colonellos pretij appetitu ductus constituet, populoq violenter praeponet, Verum liberis vocibus et votis electos, Ducali authoritate confirmabit.

XI.

Viduae Militum Uxores, cum sua orbata familia, Domus militum, et Uxores ipsorum, in absentia maritorum militiam peragentium, omni gaudeant libertate, ad nullaq tributa adigantur.

XII.

Quando Dominus Virtutum Arma Sae Rae Mtis

felici victoria benedixerit, illisq́ Ucrainam ab-
immani Moscovitica Servitute liberauerit,
tunc Dux ex publico laudo per Commissa-
rios, generalem perageт revisionem
omnium Villarum, aliarumq́ Exercitûs Za-
porowiensis ditionum, quæ ab urbibus in
Variam recesserunt possessionem, cum publi-
co Civium grauaminê.

XIII

Civitas Metropolitana Kijowiæ, cæteræq́
Civitates Ucrainenses, cum Magistratibus
Suis, iuribus, et Privilegijs, integerri-
mè gaudeant in perpetuum

XIV.

Quoniam Arendæ, pro Solvendo Com-
paniensibus Et Serdiucensibus Stipendio
constitutâ, atq́ Subsistentiâ hybernales, pro pu-
blico grauamine à gregario censentur populo,
igitur tanta deponantur onera, annihilenturq́
Arendæ et hybernales repartitiones, pacifi-
catâ autem Patriâ, consuletur de erigendo pu-
blico ærario, et de quantitate Copiarum Sti-
pendiarij militis.

XV

Invaluit in Ucraina aggrauans populum consuetudo,
quod euntes et redeuntes per pagos et oppida, in pri-
vatis et publicis negotijs Missi, multorumq́ Pri-
morum et Officialium Servi, aliquando autem et
ipsi Officiales ac Primores, sine remorsu con-
scientiæ, non erubescant exigere Victum et pro
Servis amictum, varios potus, pecunias, pro

vehendis curribus et famulis equos, et Cosa-
corum comitatus, insuper ruinata impedimen
ta reparant, Sumptu Civitatis huius, per quam
~~pr~~ fixum sibi absoluunt iter, necessarijsq
proviatico ut Præsides Vrbis provideant
vi adigunt, et multa alia incommoda, dam-
na et extorsiones innumeras inferunt.
Omni ergo arte, et qua pollet activitate,
curabit Dux tantos abusus extirpare,
Vniversalibusq suis prohibere.

XVI.

Inter cœtera grauamina sub quibus gre-
garius populus ingemiscit, augentur ipsi
sine compassiua alleuiatione onera à Te-
nutarijs inducta, Commissarijsq nundi-
narijs, quorum in nundinis exactiones,

denudant plebem, præsertim Villanos, ex quibus ne-
mini conceditur liber ad nundinas aditus et reditus,
sine indebita solutione nundinaria. Has igitur
et alias si quæ esse possunt exorbitantias, tene-
bitur Dux tanquàm Zyzanias de tritico eruere,
ac plenaria sua potestate corrigenda corrige-
re, Cuius speciali Curâ, publica Patriæ integri-
tas, salus populi, et solicita horum Pactorum
Constitutionumq executio, committitur, quas
ipse sigillo Exercitus Zaporoviensis pub-
lico, subscriptione manûs propriæ, et Corpo-
rali iuramento confirmavit, corroboravit, et
communivit.